



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117875**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)



## PRÆFATIO.

**I**n ista, quæ se tuis oculis offert, Historiæ Ecclesiasticæ Periodo, amice Lector, utramque pene paginam faciunt, tum S. Viri Ignatii Constantinopolitani & Photii veteratoris schisma, tum Concilia duo, nempe Oecumenicum VIII. in quo Ecclesia Constantinopolitana, damnato Photio, Sacræ Sedi reconciliata est, & alterum Pseudo-octavum, in quo fraudulentè Græculi Bonæ Fidei Romanorum illuserunt.

Nihilominus Guilielmum Caveum in Sæc. Phot. pag. 84. scribere non puduit:  
*Obtortis oculis hanc Synodum intuentur,*  
) ( 2                      mille

PRÆFATIO.

*mille conviciis proscindunt, mille spiculis  
configunt Scriptores pontificii. Testis  
sit vel unus Leo Allatius, qui peculiari  
opere, quod Synodum Photianam inscrip-  
psit, edito Romæ 1662. 8vo. hanc Syno-  
dum refutare aggressus est, quique non  
modo Acta ejus corrupta & falsata, sed  
& ipsam Synodum nullam fuisse, neque  
alibi usquam nisi in Photii cerebello exti-  
tisse diserte contendit, futilibus quidem  
argumentis viro ingenuo & erudito pa-  
rum dignis.*

Non equidem totam Synodum illam  
a Photio confictam Pontificii dicunt;  
verumtamen viro ingenuo & erudito  
omnino indignum est, quod Caveus fa-  
cit, cum ubique Photii in Adversarios  
suos crudelitatem, ambitionem, insolentiam,  
fraudes, mendacia, calumnias ad-  
versus Romanos sparsas, depravatas  
Pontificis literas, commentitia testimo-  
nia, quin integra Conciliabula, & tan-  
dem in doctrina de Processione Spiritus  
Sancti Hæresim, quæ omnia ex Scri-  
ptoribus aliis explorata habemus, perfide  
dissimulat. Sed ad refutandum Ca-  
veum audiamus Scriptorem Catholi-  
cum

PRÆFATIO.

cum de Photii indole & gestis differen-  
tem. Natal. Alex. Tom. XII. pag. 230.  
Edit. Paris. *Photius de his, quæ in Sy-  
nodo Romana contra ipsum decreta fue-  
rant, certior factus, actusque in rabiem,  
quod plebs fidelis turmatim ab ejus com-  
munionis discederet, diram persecutionem in  
Catholicos Ignatianæ & Romanæ Com-  
munionis excitavit. Quinetiam eo proru-  
pit audaciæ, ut congregato Conciliabulo,  
cujus se Michael Imperator Præsidem ges-  
sit, subornatis impostoribus, qui se Vicarios  
ac Legatos Orientalium Patriarcharum  
mentiti sunt, accusatoribus testibusque pe-  
cunia redemptis conficta crimina Sanctis-  
simo Papæ Nicolao impegerit, eumque a-  
themate, proh scelus! damnaverit. Et  
infra: Id nempe adhibitos dolos testatur  
Anastasius Bibliothecarius in præfat. VIII.  
Synodi. Aliud de Photio idem Auctor  
commemorat (quod cum ad ejus ingenium  
& indolem dignoscendam non parum con-  
ferat minime a nobis omittendum est) Il-  
lum scilicet ante annos aliquot docuisse pa-  
lam, duas unicuique homini inesse animas.  
Quem ob errorem cum a Constantino Phi-  
losopho reprehenderetur, se absurdam opi-*

PRÆFATIO.

nionem docuisse respondit, non eo animo ut quemquam in errorem abduceret, sed ut exploraret, quomodo se gesturus esset Ignatius, si ejus temporibus Hæresis aliqua, Syllogismis Philosophorum obstetricantibus, in lucem emergeret. Tum iterum pag. 28. de Synodo pseudo-octava. Cum Oratoribus Imperatoris Basiliæ Joannes VIII. Pontifex maximus novum Legatum Constantinopolim direxit Petrum, Tituli S. Chrysogoni Presbyterum Cardinalem, qui duobus aliis Legatis Paulo & Eugenio jam in Oriente degentibus adjunctus, Ecclesiæ Constantinopolitaneæ statum secundum mandata Sedis Apostolicæ, in Commonitorio contenta, quod ex Synodi sententia ipsi datum est, componeret. Petrus in Regiam urbem (Constantinopolim) Mense Nov. anni octingentesimi septuagesimi noni pervenit. Photio Summi Pontificis Epistolas & Commonitorium imprudentes & ignavi Legati tradidere, ut postulabat, specie quidem eas vertendi in linguam Græcam, ut in Synodo mox celebranda significarentur Orientalibus Episcopis, revera autem ut eas pro arbitrio truncaret, immutaret, interpolaret. Id ausus est nebulo ad frau-

PRÆFATIO.

*fraudem omnem compositus. Quæ ab eo deleta sint, quæ addita, quæ immutata, facile perspicias, si ipsas contuleris prout in Joannis VIII. Regesto servatæ sunt, & prout leguntur in Photiana Synodo, quod egregie præstitit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens ad annum 879. Delevit inter alia perditus impostor conditionem harum tenore literarum sibi impostam, de venia coram Synodo deprecanda: addidit improbationem ac rescissionem octavæ Synodi ante decem annos Constantino- poli contra ipsum celebratæ, & omnium quæ a Summis Pontificibus Nicolao I. & Hadriano II. in illum gesta erant. Hac ad- ornata fraude, Synodum habuit &c.*

Jam quid de Cavei fide sentiendum, Lectoris judicium esto.

Excipe hanc quoque Partem benevolo oculo animoque, Erudite Lector, e præ- claro Scriptore translata; ex nullo e- nim alio purius facta omnia ad Historiam integram Ecclesiasticam spectantia hau- ries. Quippe Fleurius ex Epistolis Ve- terum maxime, aut Actis publicis excer- plit, quæ scripsit. Historia vero hac me-

## PRÆFATIO.

thodo tradita majore præ ceteris certitudine gaudet; quia Scriptor, qui res sive præteritas, sive etiam sua ætate gestas, ut eas narrari audivit, aut in aliis auctori- bus legit, suis verbis refert, facile vel partium studio ductus fallit, vel ignorantia fallitur. Quoties enim fit, res, quæ nostra ætate & in regionibus non procul remotis accidunt, nostram tamen notitiam ex parte fugere? Econtra qui Veteres in propriis ipsorum Epistolis aut Actis publicis loquentes inducit, nec ipse facile fallere potest, nec ullus suspicandi locus est, eos qui Epistolas scripserunt, quidquam contra mentem, vel aliud quam quod verum esse ipsi sciebant, scribere voluisse vel potuisse.

Dudum observaverit Lector attentus, annum in suprema parte cujuslibet paginae non ideo poni, ut indicetur, omnia quæ referuntur in eodem fuisse acta, sed potius ut memoria Lectoris figatur, & ipse, si lubeat, amplius inquirere possit. Injuriam autem Fleurio inferunt Adversarii, qui dicunt, ipsi postremam aut nullam Chronologiae curam fuisse; etenim distinguere oportet inter Chrono-  
nolo-

PRÆFATIO.

nologiam certam & dubiam. Nam ubi certa est, vel certam esse argumentis probabilibus putat, eam nunquam negligit. Ubi incerta est, de illo circiter anno, vel tempore, quo factum contigisse verisimile est, tamen mentionem facit; sed scrupulosam & contentiosam disceptationem tunc maxime averfatur, quando notitia, an istud hoc vel alio anno contigerit, nec ad cognitionem clariorem Doctrinæ vel Disciplinæ Ecclesiasticæ, nec ad emendationem morum quidquam confert. Ceterum discretus Lector five meos, five Typographi (nam iurgando nihil proficio) errores, qualis ille est, quod Tomo X. pag. 594. Leo III. legatur Sacram Sedem tenuisse annis *viginti quinque*, pro annis *viginti & uno*, æquo animo ferre rogatur, & meminisse illius, quod Horatius cecinit:

*Verum opere in longo fas est subrepere somnum.*

